

(inquit) *liberi arbitrii libera electio*, etc. Ut autem ratio alicujus sit momenti, necesse est ut de æquali vocatione loquatur, nam æqualitatem per particulam *pariter* indicavit, non quia oporteat æqualem esse in omnibus, nam hoc necessarium non est ad justitiam Dei defendendam, quod Nyssenus intendit; sed quod esse possit, et forte non raro ita sit in communi vocatione, quæ in quibusdam habet effectum, et in aliis non habet. Nam si oporteret semper vocationes esse inæquales, inde potius sumenda esset ratio, nam ex parte liberi arbitrii non posset satisfacere, quandoquidem ad consentiendum majori semper indigeret gratia, quam ei qui non convertitur detur, vel ex parte Dei offeratur.

16. *Expediunt eandem quæstionem Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus.* — Atque eodem modo tractant et expediunt eandem quæstionem Chrysostomus, homil. 16 in ad Roman., fere per totam; et Hieronymus, epistol. 150 ad Hedibiam., q. 10, et optime Cyrillus, l. 11 in Joan., c. 21, ubi de Juda dicit: *Quod si proditor equaliter aliis Salvatoris auxilium non habuisset, frustra hæc a nobis diceretur* (scilicet, ipsi Judæ lapsus esse tribuendum), *sin autem non minus quam ceteri divina gratia regebatur, sed suo ipsius judicio in profundum perditionis delapsus est, quomodo etiam non servavit eum Christus?* utique quantum in ipso erat, et quantum satis erat, ut cum aliis innocens permanere, unde concludit: *Gratia igitur in aliis effulsit, servavitque omnes qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt, sic enim salutis nostræ modus dispositus est.* Nihil certe illustrius vel manifestius dici poterat. Subscribit item Origenes, lib. 3 Periarch., ubi, defendendo, tam in bonis quam in malis, arbitrii libertatem, sumit exemplum ex Paulo ad Hebr. 6 de terra, *quæ sæpe venientem super bibens imbrem, germinat vel herbam opportunam, vel spinas, aut tribulos.* Et addit: *Ex his quos assumpsimus Pauli sermonibus, evidenter ostenditur quod uno eodemque opere Dei, quo imbrem terræ largitur, alia quidem terra diligenter exculta fructus ferat bonos, alia vero, quæ negligenter exculta est, spinas et tribulos proferat.* Quod late prosequitur, et per terram intelligit liberum arbitrium, quod in hoc a terra materiali differt, quod terra ab aliis coli debet ut fructificet, liberum autem arbitrium ipsum est a quo cultura speratur, non sine ope et auxilio cælestis pluvie et auxilii.

17. *Eandem vocationem in uno effectum habere et non in alio, ait Augustinus.* — *Eandem*

*met vocationem uno tempore esse profuturam, et non alio, idem Augustinus indicat.* — Neque isti soli Patres qui vel ante Augustinum scripserunt, vel ipsum non legerunt, sed etiam Augustinus ipse sæpe docet eandem vocationem in uno habere effectum, et non in alio, quia unus accommodat voluntatem suam vocationi, et non alius; sic ait quæst. 2, ad Simplician.: *Quamvis multi uno modo vocati sint, quia tamen non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et infra: *Cum ergo unus sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res uno modo dicta moveat, alio modo non moveat, unum moveat, alium non moveat.* Per quæ verba, et alia multa, quæ ibi habet similia, aperte sentit cum eadem vocatione unum consentire, alterum repugnare. Dices saltem postulare Augustinum in ipsis vocationibus diversum modum, vel diversam affectionem vel dispositionem ex parte vocatorum. Respondeo imprimis, etiamsi contingat vocatos esse diversimode affectos, vel ex complexione naturali, vel ex consuetudine, hoc nihil obstat quominus auxilium gratiæ præveniens utrique datum, æquale sit secundum se, et secundum vim excitandi et movendi quam habet, et hoc nobis satis esset; nam illa major proportio ad conditionem suscipientis non pertinet ad majus auxilium, licet pertineat ad majus beneficium ex peculiari Dei electione proveniens, juxta doctrinam ejusdem Augustini, de Dono persever., cap. 14. Deinde illa diversitas antecedens in affectionibus suscipientium vocationem, licet sæpe consideretur, non est tamen simpliciter necessaria, quia, stante tali dispositione, voluntas vocata libere determinatur, quia ratione talis dispositionis per vocationem non determinatur; potest et cum illa, et sine illa vel consentire, vel repugnare vocationi. Et præterea, licet Augustinus varios modos illius diversitatis attingat, etiam concludit *eandem rem uno modo dictam unum movere, et alium non movere*, utique pro suo arbitrio, etiamsi alia diversitas vel in personis, vel in vocationibus non præcedat. Et similiter in expositione Psalmi 142, circa illa verba: *Velociter exaudi me, Domine*, significat eandem vocationem uno tempore esse profuturam, et non alio, esseque speciale beneficium Dei dare illam tempore opportuno, etiamsi in se eadem sit. Unde sic inquit: *Cito audi me, Domine; quæ enim mora quando sic sitio, ad inflammandam sitim meam? Pluviam differebas, ut hauriens imberem, non respuerem quod in flueres. Si ergo*

*differebas, jam da, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

18. *Alia Augustini testimonia.* — Declarant præterea Augustini mentem alia ejusdem testimonia, in quibus testatur, licet non possit homini tribui quod fuerit vocatus, posse illi tribui quod vocatus venerit, et affirmat lib. 83 Quæstion., quæst. 68, et tract. 4 in 1 epist. Joan., ubi sic ait: *Quia agis ibi aliquid voluntate, ideo aliquid tibi tributum est.* Nam, si homini consentienti vocationi recte tribuitur quod veniat, cum multo magis repugnanti tribuatur quod non veniat, recte consequitur sufficientem rationem diversitatis reddi ex utriusque libero usu, etiamsi in omnibus antecedentibus sit æqualitas. Idemque confirmant alia loca in quibus ait, post vocationem homini relinqui liberam electionem; et qui vocatus non venit, potuisse venire, et venturum fuisse si voluisset; et consentire vel dissentire vocationi, propriæ voluntatis esse, quæ loca in superioribus satis allegata sunt; ex illis autem principiis aperte sequitur assertio, quam nunc confirmamus, et inferius rationabimur. Ponderanda sunt tamen specialiter verba Augustini in Enchirid., cap. 64: *Quamvis veraciter dictum sit: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; sic tamen ut filii Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore, tanquam filii hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad seipsos.* Ex his enim verbis recte perpensis, non obscure colligitur eandem excitationem, qua interdum spiritu Dei ita agimur ut proficiamus, aliquando ab homine refutari, et ideo deficere: hoc ergo, et in uno eodem homine, et in diversis suo arbitrio operantibus, potest contingere.

19. *Aliud ejusdem.* — *Effugium P. Vasquez.* — Est denique testimonium satis expressum ejusdem Augustini, l. 12 de Civitate, c. 6, ubi, ut explicet ad illam diversitatem constituendam vim libertatis sufficere, dummodo habeat auxilium ad utrumque sufficiens, inquit: *Si enim aliqui duo, æqualiter affecti animo et corpore, videant unius corporis pulchritudinem, qua visa, unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alius in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causæ, utique, nisi usum libertatis; discurrens enim deinde, alias causas excludendo, addit: Si eadem tentatione ambo tententur, et unus ei credat, alter perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, et alterum noluisse a cas-*

*titate deficere.* Quem locum multis quidem verbis conatur effugere P. Vasquez. Non possunt autem satis colligere quid tandem respondet. Interdum enim contemnere locum videtur, et dicere alios libros, in quibus Augustinus de gratia ex professo scripsit, esse præferendos. Quasi vero Augustinus vel in illo opere de Civitate aliquid contra Dei gratiam, vel contra aliorum librorum doctrinam scripserit, vel in aliis libris de Gratia non eodem modo de libertatis virtute senserit: in nullo enim loco eam separat a gratia in operatione boni, vel perseverantia in illo; in omnibus vero soli libertati defectum tribuit. Unde aliter respondet, quamvis Augustinus constituat in eo casu æqualitatem in rebus aliis, non negasse beneficium vocationis congruæ, quæ illi datur, qui bene operatur. Sed licet verum sit Augustinum non excludere hoc beneficium, nihilominus æqualitatem constituit in omni motivo et excitatione, atque adeo in omni auxilio, hæc enim duo non repugnant, ut jam explicavi. Cætera vero quæ circa illud testimonium Vasquez adjungit, magis ad suam sententiam adstruendam, quam ad testimonium explicandum pertinent; quantum autem ad id valeant, postea videbimus.

20. *Augetur vis testimonii exemplo Angelorum.* — Augetur vis hujus testimonii exemplo bonorum et malorum Angelorum, quod in eodem capite 6 Augustinus tractat, et proprius in lib. de Corrept. et grat., c. 11 et 12. Nam in Angelis, certum est eos qui ceciderunt habuisse vel æqualia vel majora auxilia gratiæ prævenientis, quam illi qui steterunt, nam fuerunt perfectioris naturæ, et gratia est illis data juxta proportionem naturalium, ut communiter docent Theologi. Neque potest cum fundamento dici plura impedimenta in uno Angelo quam in alio fuisse, et ab uno fuisse ablata speciali gratia, et non ab alio. Quin potius Augustinus, dicto cap. 11 et 12, aperte sentit omnes relictos esse cum eisdem auxiliis gratiæ prævenientis, proportionem servata, ut libertate sua uterentur. Solum cogitari potest Luciferum, verbi gratia, majorem quamdam occasionem superbiæ habuisse propter majorem naturæ excellentiam. Sed hoc nihil obstat; tum quia etiam habuit excellentiorem gratiam cum proportionem, tum etiam quia multi inferiores in natura peccarunt, et alii eis superiores perseverarunt.

21. *Casus Adami in argumentum ponitur.* — Deinde ex casu Adami, et ex eodem Augustino in eodem loco de Corrept. et grat., potest

sumi efficax argumentum, nam sine dubio habuit sufficientem gratiam ad vincendam tentationem, et cum illa sola ex parte prævenientis auxilii, stante eadem dispositione voluntatis ejus, et cum eisdem antecedentibus impedimentis potuit moraliter magna facilitate tentationi resistere, quod si faceret, gratia illius fuisset efficax; ergo cum illa eadem gratia præveniente potuisset vel ipse Adam, vel alius homo illi similis tentationem illam vincere, et ita illud idem auxilium, quod nunc fuit tantum sufficiens, sine alio præveniente esse efficax, seu effectum habere; non est ergo necessaria inæqualitas illa, ex parte prævenientis auxilii aut circumstantiarum antecedentium, inter auxilium efficax et sufficiens.

22. *Adducitur in exemplum Pharaon et Nabuchodonosor.* — Aliud item exemplum habetur nomine Augustini in lib. de Prædestinat. et grat., cap. 15, de Pharaone et Nabuchodonosor, quia eisdem seu æqualibus gratiis præventi sunt, ut ibi late declaratur, et tamen Pharaon suo arbitrio fuit induratus, Nabuchodonosor autem gratiæ cooperando fuit conversus. Quod vero dicunt aliqui, illos considerari ab Augustino æquales in externis auxiliis, non internis, erit quidem verum quoad concomitans seu adjuvans auxilium, non autem quoad sola prævenientia, alioqui parvi momenti et efficacitæ fuisset comparatio, ut paulo post in simili dicam. Unde Augustinus ibidem, cum rationem diversitatis ex libertate arbitrii reddidisset, ex parte Dei ait, *illa omnia, vel adjuvante Deo perfici, vel deserente permitti.* Est ergo diversitas in auxilio adjuvante, et in beneficio congruæ opportunitatis, non in majori præveniente auxilio.

23. *Generalius exemplum sumitur ex Prospero.* — Generalius exemplum sumitur ex Prospero, l. 2 de Vocat. gent., c. 15, alias 5, ubi universaliter de gentibus ante Evangelii prædicationem ait: *Adhibita semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi paucioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium; ut non dubie, sed evidenter appareat, quod nisi, ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia, nunc quoque universum genus similis obcecaret impietas.* In quibus verbis solum expendo, juxta sententiam Prospero, eandem gratiæ mensuram in quibusdam fuisse efficacem, quandoquidem illis profuit ad remedium, licet in cæteris frequentius solum

fuerit sufficiens. Et quamvis nunc specialior majorque gratiæ vocatio universis gentibus tribuatur, ut idem Prosper, cap. 23, prosequitur, nihilominus, proportionem servata, etiam in illa generaliter spectata, et respectu communitatis plurium hominum, vel etiam populorum, invenitur quædam æqualitas, nam multi eisdem auxiliis præveniuntur, quorum aliqui convertuntur non resistentes gratiæ Dei, sed illi cooperantes, alii vero pro sua libertate gratiæ resistendo deficiunt.

24. *Confirmat Sanctorum cogitatio.* — Et hoc significavit idem Prosper, capit. 26, dicens: *Hanc abundantioris gratiam ita credimus, atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam, quo quidquid in hominibus agitur, sola Dei voluntate peragatur.* Deinde vero, explicatis hujus gratiæ prævenientibus auxiliis, addit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, et quod a multis respuitur, ipsorum est nequitia; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ.* Ubi semper loquitur de eadem præveniente gratia, ac proinde etiam æquali; ideo enim non ex sola illa, sed adjuncta etiam hominis libertate, rationem diversitatis in hominum conversione vel aversione desumit. Hoc etiam confirmat quædam pia et vera Sanctorum cogitatio, qua se ad humilitatem provocant, quia si Deus aliis eadem contulisset auxilia quæ ipsis contulit, meliores fuissent. At hæc consideratio supponit cum eisdem auxiliis posse unum hominem melius proficere quam alium, magis cooperando, quæ consideratio præcipue solet ex D. Francisco referri. Illam vero inter sua Exercitia ponit Bonaventura, et est 8. Quod opusculum habet tom. 1 Opusculor., in ult. in antiquis; in novis autem, in tom. 6, in 3 part. Opusculor. Et eandem tradit sanctus Vincentius, in tract. de Vita spirituali, cap. 3.

25. *Habetur singulare exemplum in Evangelio.* — Ultimo, habemus singulare exemplum in Evangelio Matth. 11: *Si in Tyro et in Sidone factæ essent virtutes quæ Corozain et Bethsaidæ factæ sunt, in cilicio et cinere penitentiam egissent.* Affirmat ergo Christus, eisdem auxiliis quibus Judæi non sunt conversi, fuisse Tyrios et Sidonios convertendos, si eis data fuissent, quam fuisse prophetiam et certissimam Christi assertionem et revelationem, in secundo prolegomeno probavimus. Ex eodem loco supra, cap. 26, ostendimus ad actualem conversionem, et bonum usum prævenientium auxiliorum, non esse necessarium

auxilium de se efficax, et physice prædeterminans; et ibi dicta probant nullum aliud auxilium præveniens esse necessarium, quandoquidem cum iisdem fuissent conversi Tyrii et Sidonii. Neque verisimilis est quorundam responsio, dicentium Christum locutum esse de solis externis auxiliis, nam (ut in eodem capite argumentati sumus) tunc vana et captiosa fuisset exprobratio; nam si hoc Judæi intelligerent, merito ac justissime responderent etiam ipsos fuisse convertendos, si cum illis externis auxiliis eadem interna sibi data fuissent. Certum præterea est, etiam Judæis non defuisse interna auxilia sufficientia quibus converti possent si vellent, alias injuste reprehenderentur; ergo Christus non tantum de signis externis est locutus, sed sub illis comprehendit interna subsidia, quæ per illa externa opera tanquam per instrumenta Dei ordinarie conferuntur, ut in superioribus sæpe dictum est cum Augustino, de Spirit. et litter., cap. 33 et 34, et sæpe alias. Quod autem de eisdem, et non majoribus, vel ex se efficacioribus fuerit locutus, vis exprobrationis postulat, ut dixi, et in dicto capite latius prosecutus sum.

26. Et ita hoc Christi testimonio tanquam efficaci utuntur Soto, Vega, et alii ex citatis auctoribus, ut Vasquez etiam refert, qui agnoscit quidem certitudinem revelationis Christi; ait tamen quod, si eadem signa facta Bethsaidæ fierent in Tyro et Sidone, essent majora dona et beneficia gratiæ respectu Tyriorum et Sidoniorum, quia ipsis fierent magis congrua quam Judæis, quibus non congruebant. Et videtur loqui de signis non tantum externis, sed ut per illa dabantur interna; sic enim cap. 7 concludit: *Itaque si interius eadem esset omnino vocatio in duobus, posset esse uni major gratia propter congruentiam, quam alteri, cui congrua non esset.* At certe per hanc responsionem sic declaratam, vel a propria sententia recedit, vel nobiscum de nomine disputat. Omnes enim fatemur vocationem congruam semper esse majus gratiæ beneficium; dicimus tamen, in se et absolute spectatam, non esse majus auxilium, id est, non necessario includere aliquam specialem motionem præviam, nec modum positivum ejus, imo nec carentiam impedimenti speciali gratia provisam, sed solum respectum congruentiæ ad consensum prævisum sub conditione futurum. Quod si hoc ipsum vocet ipse majus auxilium, erit quæstio de vocabulo; si autem aliquid peculiare positivum vel privativum prævium requirit, ut revera in sua assertione

declarat, non satisfacit responsio ad Christi verba, nec in verbis subjunctis vere supponitur quod *esset eadem omnino vocatio*, etc.; non potest enim dici omnino eadem vocatio, quæ, præter respectivam congruitatem, aliquid includit quod non includit alia, sive illud positivum, sive privativum sit, quia in auxiliis moralibus, qualia sunt hæc de quibus tractamus, magna pars auxilii, in se et absolute spectati, in ablatione impedimentorum consistere potest. Imo non solum in moralibus, sed etiam in physicis, illud censi posset physicum auxilium, quia licet sit causa per accidens, est conditio physica requisita, unde in moralibus etiam inter causas per se computatur; si ergo vocatio, quæ supponitur, est omnino eadem, non debet includere aliquid positivum vel privativum quod alia non includit; et si propter solam congruentiam dicitur majus beneficium, vel donum, aut gratia, non tamen vere et proprie majus auxilium.

27. *Probatur ratione.* — Ultimo, argumentor ratione, et imprimis contra priorem modum postulandi excessum, in eo qui convertitur, ex parte auxilii efficacis; ratio est facilis, ex principiis a nobis positis. Primo, quia gratia efficax non requirit necessario novum auxilium præveniens ultra sufficiens; ergo cum eodem auxilio præveniente stat unum operari cum adjuvante gratia, quæ præsto est, et alium non operari, quia potest resistere vocationi. Secundo, quia probatum est gratiam efficacem non consistere in prævio auxilio prædeterminante ad exercitium actus, vel ad unum actum; ergo, stante toto auxilio præveniente in duobus æquali, stat unum operari, et non alium, cum utrumque maneat in utriusque indifferente potestate; ergo cum æquali auxilio præveniente stat unum consentire, et alium resistere. Tertio, hæc rationes applicantur contra alteram sententiam, nam æque procedunt de quocumque excessu, quia ostensum est efficacem gratiam prævenientem positam esse in vocatione congrua, sed hæc congruitas vocationis non consistit in aliqua majori ejus intensione, vel claritate, aut distinctione, aut alia simili proprietate absoluta, neque in carentia alicujus impedimenti, sed solum in habitudine ad effectum infallibiliter futurum in divina præscientia, quæ dari potest sine ulla prævia inæqualitate; ergo. Minor, quoad priorem partem de proprietate positiva, probatur, quia vel illa proprietate est necessaria ad consensum, vel non est necessaria: si est necessaria, danda erit in præveniente auxilio ejus qui

non convertitur, alias non habebit auxilium sufficiens; si vero non est necessaria, sine illa poterat quis consentire, et de facto interdum consentiet, quia prævenitur sufficienti auxilio, et, possibili posito in esse, nihil sequitur repugnans; ergo cum æquali prævenienti auxilio, et sine tali excessu positivo, stat unum consentire, et alium dissentire. Et eodem fere argumento probatur altera pars de ablatione impedimenti. Primo quidem, quia, stante eadem motione positiva, et ablatis æqualiter impedimentis, manet indifferens voluntas utriusque hominis vocati; ergo, licet unus pro sua libertate dissentiat, alter potest cooperari gratiæ Dei; cur ergo non ita interdum continget, cum in utroque sit potestas moralis apta reduci in actum pro dominio libertatis? Imo hæc ratio probat, non ablatis etiam impedimentis posse consentire, qui majora habet impedimenta, aut ex parte naturæ suæ vel consuetudinis minus est dispositus, et alias non consentit, quia ad hoc extenditur libertas voluntatis, si gratia supponitur, quæ ad vincendum illud impedimentum vel difficultatem simpliciter sufficiat. Et e converso, licet quis habeat æqualia positiva auxilia cum minoribus impedimentis, poterit minus operari, quia semper manet in voluntate potestas intrinseca ponendi impedimentum, vel suspendendi proprium actum, vel avertendi considerationem intellectus; hoc enim impedimentum est quasi concomitans, et ab usu propriæ libertatis pendet, ideoque non tollitur per auxilium præveniens, quia per illud non aufertur libertas, et ideo ex hoc capite semper esse potest diversitas in consensu, licet in prævenienti auxilio sit æqualitas.

28. *Declaratur vis rationis. — Respondetur.* Tandem declaratur vis hujus rationis, quasi applicando illam ad exercitium. Constituamus itaque hominem præventum a Deo motione sufficienti, ut converti possit, quia et satis attendit, et omnes præviæ circumstantiæ necessariæ occurrunt, et nullum impedimentum occurrat, quod voluntas superare non possit. De hoc ergo homine inquiri an necessario consentiat, necne? Primum non asserunt dicti auctores, et constat ex superioribus dici non posse; ergo, stante illa motione, stat illum non consentire. At vero nihil repugnat motionem similem esse efficacem in alio ejusdem præviæ conditionis; ergo. Respondent illum qui habet talem motionem, posse sine novo dictamine intellectus per liberam voluntatem transferre considerationem ad aliud objectum quod magis inclinet ad oppositum actum, et quando

hoc non facit, necessario consentire, et nihilominus libere, quia illa necessitas talis est, quam per liberam aversionem considerationis impedire posset; quando vero illam avertit, jam non habet æqualem considerationem cum alio, et ideo aiunt non esse mirum quod tunc unus consentiat, non alius.

29. *Responsioni occurritur primo. — Evasio. — Occluditur.* — Verumtamen hæc responsio, et in se difficilis est, et vim rationis non evacuat: est autem difficilis propter duo. Primum, quia ille modus resistendi, avertendo cogitationem, non semper habet locum respectu gratiæ excitantis, quia illa excitatio est necessaria, ut libro tertio visum est. Ponamus ergo duos excitari per cogitationem sanctam et affectionem, a Spiritu Sancto independentem ab eorum libertate immisas, certe tunc non est in eorum potestate illas non recipere; ergo neque eis est liberum per eas non attendere et moveri; ergo tunc non habet locum resistentia per ablationem cogitationis. Dices: licet non possit homo illam cogitationem auferre pro illo instanti pro quo illam recipit, posse tamen immediate post illud instans illam avertere. Sed hoc neque semper est ita, quia Spiritus Sanctus, qui illam cogitationem immisit, potest eadem necessitate illam pro aliquo tempore conservare. Nec etiam satis est, quia interdum deliberatio est facienda in eodem instanti in quo immittitur inspiratio, ut in Angelis, et nihilominus in illomet instanti potest unus sic vocatus consentire, et alius non præbere assensum.

30. *Occurritur secundo.* — Secundo, esto ille modus sit possibilis, ut esse potest, saltem applicando mentem ad aliam cogitationem liberam, licet altera immissa non tollatur, sed simul maneat, licet, inquam, hic modus possibilis sit, non apparet cur semper sit necessarius, vel cur non possit uterque sic vocatus mentem simul applicare æqualiter ad cogitationem alterius objecti, quantum necesse est ut eligant, et nihilominus quod, pro utriusque libertate, unus rem unam, alter aliam eligat. Quæ difficultas generalis est in omnibus liberis electionibus, et ideo illam non declaro; sed ulterius ostendo, etiam admissio ut necessario illo modo resistendi per applicationem mentis ad cogitationem oppositam, non evacuari difficultatem; nam inde etiam sequitur cum æquali prævenienti gratia unum resistere, et non alium. Probatur, quia ex duobus æque vocatis, unus immediate conjungitur vocationi, et consentit cum adjuvante gratia, et

alter voluntarie applicat intellectum ad contrariam considerationem; ergo cum æquali vocatione unus consentit, et alius resistit. Probatur consequentia, tum quia in eodem momento in quo adhuc durat æqualis vocatio, unus consentit, et non alius; tum etiam quia illamet applicatio mentis ad aliam cogitationem est resistentia, inde enim incipit. Ex quo ulterius sequitur (quod maxime considerandum est) illam inæqualitatem, quæ inter illos duos postea reperitur, non esse ex sola præveniente gratia, illa enim æqualis fuit; sed esse partim ex sola libertate, in eo qui se applicavit ad considerandum aliud, partim ex libertate cum cooperante gratia, in eo qui se accommodavit vocationi.

31. *Fundamenti prioris opinionis satisfit.* — Superest ut fundamentis aliarum opinionum breviter satisfaciamus. Quia vero prior opinio in sola physica prædeterminatione fundatur, negato illo principio, nulla fere alia responsio necessaria est. Nam etiam illæ interrogationes Pauli, 1 ad Corinth. 4: *Quis enim te discernit?* et: *Quid gloriaris quasi non acceperis?* et in superioribus sunt a nobis sigillatim explicatæ, et ex tertia suppositione facta a nobis in hoc eodem capite possunt optime declarari. Nam si discretio intelligatur secundum divinam electionem et prædestinationem, Deus solus est qui discernit; solo enim consilio voluntatis suæ, huic et non illi vocationem congruam præparavit, quod est majus et singulare beneficium, licet non semper absolute sit majus auxilium. Si vero discretio in executione consideretur, sic ex parte ejus qui deficit non tribuitur Deo, nec enim propria ratio deficiendi est defectus auxilii, sed abusus libertatis, ut sæpe dictum et probatum est. Ex parte autem ejus qui proficit, tribuitur quidem Deo, ut principali causæ, non tamen soli, nec sine cooperatione liberi arbitrii, ut etiam probatum est. Et ob eandem causam, etiamsi homo proficiat et ab alio discernatur, cooperando gratiæ Dei, non habet unde in se gloriatur quasi non acceperit, cum ipsemet bonus usus gratiæ sit ejusdem gratiæ principalis effectus. Quia vero homo sic operando aliquid meretur, et laudem et gloriam habet apud Deum, ideo, quando oportuerit, poterit non in se, sed in Domino gloriari, ut ex Paulo et Sanctis Patribus etiam in superioribus declaratum est. Nihil ergo ex illo testimonio contra doctrinam datam deduci potest. Neque tandem sequitur eum, qui convertitur, non teneri ad majorem gratiarum actionem. Nam imprimis tenetur et gratias agere pro do-

no fidei vel pœnitentiæ sibi concesso per auxilium concomitans gratiæ, quod alteri datum non est. Deinde tenetur gratias agere pro majori beneficio vocationis congruæ, ac denique pro singulari affectu quo Dominus illum elegit ac media quibus certissime liberaretur præparavit; hæc enim omnia, esto aliquando non includant auxilia in sua entitate majora, semper sunt majora beneficia, ac proinde majori gratitudine digna.

32. *Fundamenti alterius sententiæ prima pars.* — Fundamentum alterius sententiæ duas habet partes. Prior magis pertinet ad moralem philosophiam, nititur enim in illo principio, quod voluntas nunquam movetur aliter circa unum objectum quam circa aliud, neque movetur ad unum, et non ad aliud, nisi in ipsis objectis, vel in eorum applicationibus, vel in aliis prærequisitis conditionibus, aliqua diversitas ante usum libertatis præcedat. Hoc autem principium existimo falsum esse, et libertati contrarium, quod breviter ostendo ex dictis in proleg. 1. Nam voluntas, ut sit libera, potest operari et non operari, positus omnibus prærequisitis ad agendum; ergo, omnibus illis stantibus, voluntas non necessatur quoad exercitium, vel (quod perinde est) non ita determinatur, quin possit resistere in proprio sensu composito, id est, eisdem prærequisitis perseverantibus. Ergo, stante ejusdem objecti eadem applicatione et consideratione, cum cæteris præviis conditionibus, potest eadem voluntas pro sua libertate, vel ferri in objectum, vel non ferri, vel ferri majori conatu, vel minori. Et eadem ratione, in duobus similiter affectis et dispositis circa idem objectum, illa varietas ex sola libertate contingere, et in actum reduci potest, quia illa potestas in utroque est physica et moralis, et in utramque partem æque contingens.

33. *Instatur. — Instantiæ occurritur.* — Dicetur fortasse eum, qui consentit in tale objectum, semper applicare mentem ad considerandum attentius illud objectum, vel ad judicandum magis practice illud esse amandum, vel quid simile. Sed interrogabo rursus an illud iudicium, vel major consideratio simpliciter necessaria sit ad talem consensum, necne. Hoc posterius non potest consequenter dici ab eo qui sic respondet. Nam si illa major attentio non est simpliciter necessaria, quo fundamento asseritur semper intervenire, et sine illa nunquam præstari consensum. Si vero illa major attentio necessaria est, interrogabo ulterius an, supposita propositione objecti cum minori